Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26104
Copyright: Admont, Benediktinerstift



creaturarum pertinet racio. Et ualde quidem karissime. Sic et
ex magnitudine et decore creaturarum competenter eorum con
ditor agnoscetur. Quanto autem ad intelligentiam eorum fuerimus
intenti, tanto magis uia nobis patescit ad intuitum
conditoris. Magnum crede mihi bonum est scire quid sit creatura.
et quid sit creator, et que sint opera quis uero opifex. Si et hec dili
genter scirent discernere heretici, numquam utique omnia
confunderent, et que sursum sunt facerent deorsum. Non dico
quod celum et stellas deorsum. Terram autem sursum docerent, sed
quod celorum regem ab excelsis sedibus deducentes cum creaturis
et operibus non collocauerint, nec creaturam diuinis honoribus
afficerent. Si de creaturis scissent phylosophari
manichei, numquam materiam corruptibilem et mutabilem
que cum non esset effecta est ingenitam, deumque dicerent coeternam,
si de creaturis scissent recte phylosophari gentiles,
numquam coluissent et seruissent creature pocius quam creatori.
Bonum uides celum, sed propterea ut illud aspiciens adores cre
atorem eius. Pulchrum solem, sed ut illum intuens factorem ipsius
uenereris. Si enim creaturarum pulchritudine detentus
inhereas, nec ex earum specie magnitudinem consideres
creatoris, conuersum est tibi lumen in tenebras. Vides ergo quantum
boni sit scire creaturarum racionem. Non et negligamus
hec lucra, sed attentius intendamus his que lecta sunt, quia non solum
celi et terre ac maris, sed et nostre, id est hominum originis ra
cionibus, ex his que leguntur exponitur, et unde mors, unde
labor mortalium uite, unde cure, unde tristicie sub

Lux in tenebris lucet. i. et in creatis.
Intellectus in phis.
Lex in iudeis.